

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

tunc, potuisse conciliari opiniones Cleri & populi facta quasi compensatione: nempe si clerus articulum tertii ordinis admitteret, negantem Summo Pontifici jus esse in regna: eo casu populi assensu salvam fore in Gallia doctrinam Tridentini.

(B) Anno 1615. in Comitibus Gallie publicis ventilata est haec quaestio, & in utramque partem docte graviterque agitata: An summus Pontifex potestatem in Reges obtineat? Ordo Ecclesiasticus perorante doctissime Perronio Cardinale vindicabat summo Pontifici in Sceptra Regum potestatem certis casibus, nempe si in heresin aut idolorum cultum prolapsi subditorum animis nova insinuent dogmata, seu quod pejus, si reluctantes adigant, ut fidem abdicent. Contrariam opinionem novam esse, Luthero & Calvino fautoribus nuper natam. In suam vero sententiam exactis seculis itum, iri & hodie passim toto orbe Catholico NB. si Galliam demas. Sed contra etertio ordine ad Clerum delegati dixerunt. Pontificis potestatem in regna circa temporalia nullam esse. Christum ipsum diversas habuisse a gladio claves, Petrum, ubi in arma etiam juste proruperat, gladium mittere jussum in vaginam, ne qui restaurandis instituebatur, truncaret membra. Mansuete post regnasse Ecclesiam, cui imperium est in volentes. Allegabant quoque Christi responsum Pilato datum: Regnum meum non est de hoc mundo. Itemque illud: Reddite que sunt Caesari, Caesari. Provocabant etiam ad Paulum, qui verbis & facto docuerit, Regibus impressum esse desuper characterem, quo suprema in subditos potestate jus dicant. Assensere Lutetiani Parliamenti Patres, nec multo post vulgatum confirmanda sententia placitum in hanc summam: Rogante Procuratore Regio Senatus censuit, pro lege politica regnoque fundamentali habendum posthac, quod Rex Galliae unius DEI beneficio regnet, quod neminem in temporalibus agnoscat, quod factum ipsius caput sit, ita ut nemini jus sit eum quocumque praetextu occidere. Vid. Grammond. lib. 1. Histor. p. m. 68.

§. XII.

Quaestio est, ut opinor, magni momenti, An matrimonia citra consensum Parentum contracta irrita sint & num Parentes ea rata vel irrita facere possint. Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. 1. de Reform. negativam tuetur, definiendo: Matrimonia
 D abs-

absque parentum consensu contracta nihilominus rata esse debere, quin eo progreditur, ut secus sentientibus anathema scribat. Contra vero Ecclesia Gallicana affirmativam quæstionis partem amplectitur, ita requirens Parentum consensum ad esse matrimonii, ut sine eo irritum sit ac nullum. Quæ de re ante annos non ita multos nempe Anno 1674. liber prodiit singularis in hoc argumento totus occupatus, qui inscribitur: *Regia in matrimonium potestas* Auctore Johanne Launojo. Non placuit iste liber Romæ, cui proinde Dominicus Galeusius Rubensium Episcopus & Canonici Juris Professor Roman. alium opposuit tractatum, sed paulo post a Launojo graviter & solide refutatus est. Ecclesiæ Gallicanæ sententiam Rex ipso facto fortiter tuetur, in omnibus Judiciis severe animadvertens in eos, qui minorenes insciis parentibus conjugium contraxere: nec quicquam obstat, quo minus ejusmodi matrimonia, etiamsi per aliquot annos contracta, si Parentes velint, rescindantur, vel potius, ut loqui malunt, pro irritis & nullis declarentur. Ita enim ad essentiam matrimonii consensum Parentum requirunt, ut citra eum matrimonium *essentialiter & formaliter* incompletum imo nullum fuisse dicatur. Anno 1681. Rex Galliæ etiam in Lotharingia edictum publicari jussit, ante vigesimum quintum annum citra consensum Parentum a nemine matrimonium valide contrahi posse. Et in Alsatia, quæ Regis imperio subest, publica quoque sententia cautum est, ne quid liceat clandestinis connubiis; quæ Rex pro raptu habeat, eandemque delinquentibus poenam interminetur, quæ raptoribus decreta est.

§. XIV.

In causis matrimonialibus quis iudex esse debeat, hinc quoque lis oritur. Gallia enim Regi suo cognitionem causarum matrimonialium, itemque leges circa eas vindicat; Roma vero ad Forum Ecclesiasticum hoc negotium spectare clamat. *Concilium*